34060

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SVECIÆ

AD

ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM ARCHIEPISCOPUM GNEZNENSEM DEI ET SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ POLONÆ GRATIA

SARMATIÆ INTERREGEM, PRIMATEM ET PATRIARCHAM.

NEC NON

AD

ILLUSTRISSIMOS ET REVERENDISSIMOS SENATORES IN EADEM REPUBLICA ECCLESIASTICOS, AMICOS SUOS CHARISSIMOS

EPISTOLA

SVPER VNIONIS NEGOTIO DATA.



A. D. 1632.


BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS

GUSTAVUS ADOLPHUS

DEI Gratia Svecorum, Gothorum, VVandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Dominus.



ILlustrisſime & Reverendisſime Domine Archiepiſcope, amice noſter chariſsime. Cum neceſſarium omnino judicemus, ut præſentes Induciæ, ad firmandam arctiorem inter Nos Regnumq; noſtrum & Sereniſsimam Rempublicam Polonam, amicitiam ac confidentiam accommodentur, hoc præſertim tempore, quo libertas horum Regnorum mutua per communes hoſtes PALAM & per FRAUDES non impigre impetitur.

Et cum Reverendiſsimæ Dominationis veſtræ ſingularis in avitam libertatem amor, & ad prævertenda imminentia Reipublicæ detrimenta, graviſsima authoritas ac laudabilis prudentia Nobis abunde ſint perſpecta. Mentem propterea noſtram, circa ea, quæ mutuam Regni noſtri ac Sereniſſimæ Reipublicæ veſtræ ſalutem concernunt, negotia, Reverendiſsimæ Dominationi Veſtræ paulò propius, majoriq; cum confidentiâ voluimus communicare. Eoq; nomine Conſiliarium noſtrum Secretiorem Nobis ſincerè Dilectum, Magnificum ac Generoſum Dominum Jacobum Rouſſel Legatum noſtrum expedivimus, pro eâ, qua de Reverendiſsimæ Dominationis veſtræ propenſiſsimo in commune bonum affectu, ducimur fiduciâ, amicè requirentes, ut Reverendiſsima Dominatio veſtra, dicto Legato noſtro non tantum benevolas aures præbere, iisq; omnibus quæ nomine noſtro in rem ac utilitatem Regni noſtri & Sereniſſimæ Reipublicæ veſtræ communem adferet, plenariam ac indubitatam fidem adhibere, verum etiam propoſitis ipſius talem reſolutionem elargiri dignetur, ut inde tum præſens ſæculum, perfidis hoſtium conſiliis ac machinationibus undiq; quaſſatum, tum futura poſteritas, transmiſſo in ſe glorioſæ libertatis decore, Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ pro Patriâ magnanimitatem, providam curam, ac ſollicitudinem, fortiaq; & perpetuâ laude digna conſilia, ſummâ cum gratitudine poſſit agnoſcere. Nos Reverendiſſimæ Do-

Dominationi vestræ amicitiæ ac benevolentiæ nostræ, quâ in eam singulariter sumus affecti, testimonia quacunq; occasione exhibituri, eandem Divinæ protectioni amicè commendamus. Dabantur Stralsundi Die 5. Novemb. Anno 1630.

Gustavus Adolphus.

